

*Officiolatus et Praefecturae Bellicae in Sclavonia et Croatia juxta Constitutiones
conferenda.*

Articulus 31.

Officia quoque Capitaneatum in Regnis Sclavoniae et Croatiae, aliarumque functionum militarium, majora pariter et minoria; ut juxta Viennensem Pacificationem, ad nonum et decimum, ac Anni 1608. Art. 11. ante Coronationem; et Anni 1609. Art. 27. Anni 1618. Art. 31. nec non diploma Regium eodem Anno ipsis concessum conferantur; decretum est. *)

De Banali authoritate: Et causis, Bani personam concernentibus.

Articulus 32.

Quo in loco, cum Banalis Authoritas, juxta Art. 11. Anni 1608. ante Coronationem et Anni 1609. Art. 27. Conditionem septimam Diplomatis, ac Anni 1618. Art. 31. et Anni 1630. Art. 25. sit restituta, neandum tamen in effectum deducta; ut eatenus omnis conquerendi materia amputetur, praemissae Regni Constitutiones, in effectum ducantur; statutum est.

§. 1. Hoc expresso; quod si Dominus Banus in aliqua causa interessatus esset, ea in Tabula Regia more solito discuti possit. **)

*De negotiis Valachorum, in fundis Regnicolarum Croatiae et Sclavoniae de-
gentium, Commissione instituenda.*

Articulus 33.

Porro, quia Valachorum, in fundis praefatorum Regnicolarum Croatiae et Sclavoniae existentium, cum plena jurisdictione restitutio, creberrimis Regni hujus Constitutionibus, praesertim vero Anni 1604. Art. 14., Anni 1608. Art. 9., Anni 1618. Art. 32. et Conditionibus 2. et 7. Diplomatis, ac tandem Anni 1630. Art. 24. nec non, etiam in Generalibus judiciis Festi Beati Lucae Evangelistae, ultimo eorundem judiciorum die, in Libera Regia Civitate Posoniensi, Anno 1628. ex benigna Sacratissimae suae Majestatis annuentia sancita sit et deliberata; peculiarique ejusdem Sacratissimae Majestatis Anno praecitato 1618. Statibus eisdem clementer elargito Diplomate promissa; ut tandem praemissorum omnium hactenus inexecutorum, realem fructum fideles Status et Ordines sese expertos persentiscant; decernitur:

§. 1. Ut tam in eadem Valachorum restitutione effectuanda, quam subsequentibus dictorum Statuum et Ordinum Croatiae et Sclavoniae Regnorum differentiis et difficultatibus tollendis, complanandisque ac imposterum praecavendis; solennis Commissio, juxta Instructionem praemissis Articulis, judicariae delibrationi, aliisque Patriae Legibus, Diplomaticque Regio conformem, ac tam suaee

*) Allegatur et urgetur; An. 1659. a. 97.

**) Allegatur et observandus statuitur; An. 1638. a. 32.